



Per.
Lat
020

Prodit Budapestini VIII., Szentkirályi-u. 28. Calendis et Idibus cuiusque mensis, excepto Iulio et Augusto. — Pretium annuae subscriptionis in Hungaria: 4 coronae. Prostat Parisiis in aedibus
 ▼▼▼▼▼▼▼▼ Croville-Morant, 20 rue de la Sorbonne. — Telephonum: József 858. ▼▼▼▼▼▼▼▼

Robertus Falcon Scott.

Vi¹ quadam atque incitatione¹ commovemur, cum nuntius affertur de hominum magnis factis, quae pro humani generis magnitudine conabantur.

Britannus Scott eodem fere tempore, quo Amundsen Norvegus ad polum meridiano perscrutandum² profectus est. Hic forte fortuna quod sibi proposuerat, assecutus est, Britannus autem pro eadem re vitam profudit.³ In litterarum historia non minor est futura Scottii gloria, quam Amundseni, quia utrique magna petebant, quae voluerant, perfecerunt.


Cum Terra Nova, navis Scottii e portu Londinensi ante duos annos inter laetos clamores ingentis

multitudinis altum⁴ peteret, nemo putavit fore, ut interitu viri universa eruditorum hominum respublica tam brevi tempore tanto luctu afficeretur.

Tolle, lege, quid cogitaverit fortissimorum longe fortissimus Scott ipse, cum mortem adesse sentiret;

«Debiles⁵ sumus, vix calamum tenere possumus. Neque tamen nos paenitet hoc iter suscepisse. Documentum⁶ est patientiae virilis et animorum concordium, quorum compotes⁷ sunt Britanni; simul testatur eos tam tranquille mortem praesentem aspicere, quam antea semper.

Aleam⁸ subiimus,⁸ eam subiisse praesciebamus.




1 lelkesedés 2 kutat
 3 kiont, áldoz 4 tenger
 5 gyenge 6 bizonyíték
 7 képes valamire 8 kockázatos dologra vállalkozik

Res contra nos vertebantur, non licet quēri, sed submittere nos arbitrio Providentiae, qui usque ad finem optime agere prompti⁹ eramus.

Si in hac re vitas nostras libenter profudimus,³ pro patriae gloria factum est. Appello igitur cives nostros, ne illi, quorum educatores altoresque¹⁰ vivi nos eramus, nobis mortuis relinquantur».

Quam gravia verba, quam nobilia! Doleo mehercle, quod Robertus Falcon Scott non erat Hungarus.

⁹ kész ¹⁰ fenntartó.



LECTARIUS MINIMIS.

Paulus Georgio Salutem.

Iam pridem de excursione¹ illa tristissima ad te scribere volui, quam ab aliis quoque amicis nostris audiebas. Mense Iulio erat anni superioris. Curru² electrico vehebamur ad regionem subalpinam.³ Inter montes est lacus,⁴ cuius aqua, nisi vento agitata,⁵ pura esse solet.

In lacu lintre⁶ vehi cupientes laeti considebamus in transtris⁷ naviculae. Aliquam-



Gladius Iacobi Roze.

Quinque annis ante in Africa claram pro patria mortem oppetivit Iacobus Roze centurio, cuius vita breviter descripta novissime in lucem prodiit, ubi haec scripta leguntur.

Nonnullis diebus post mortem Iacobi fra-

diu remi⁸ nostri placide⁹ lintrem agebant. Sed non ita multo post petulans¹⁰ quidam condiscipulus in lintre saltare¹¹ coepit. Quo facto lintre vehementer agitata⁵ paene submersa¹² est. Nos ceteri, qui quieti remis incumbibamus,¹³ perterriti vidimus condiscipulum illum e lintre in aquam incidere. Qui nostrum fortiores natate¹⁴ sciverant, repente in aquam se praecipitaverunt¹⁵ cupientes puerum illum infelicem ex aqua trahere et servare. Sed frustra omnia, nam amicum nostrum nusquam conspicerere poteramus. Denique auxilio venerunt etiam alii homines, qui in aquam se submergebant. Quod autem sero¹⁶ factum est. Nam tantum corpus amici nostri inveniri poterat.

Omnes, qui aderamus, visu horribili perterriti deflebamus¹⁷ casum eius pueri. Flebant etiam parentes luctu¹⁸ afflicti,¹⁹ qui nuntio tantae calamitatis accepto longum iter emensi²⁰ sunt, ut adessent rei tristissimae, ut interessent exsequiis²¹ filii infelicissimi.

Quare excursio illa erit nobis semper memorabilis. Esto semper cautus,²² amice carissime. Cura, ut valeas. Scribebam Calendis Martiis anni 1913. Valere²³ meis²³ verbis²³ te iubet²³ Antonius. *M. F.*

¹ kirándulás ² kocsik ³ Alpesek melletti ⁴ tó
⁵ megmozgat, felkavar ⁶ csónak ⁷ pad ⁸ evező
⁹ csendesen ¹⁰ pajkos ¹¹ ugrál ¹² elmerül ¹³ nekifekszik ¹⁴ úszik ¹⁵ vet ¹⁶ későn ¹⁷ sirat ¹⁸ gyász
¹⁹ lesújt ²⁰ emelior kimér, «megtesz» ²¹ temetés
²² óvatos ²³ velem üdvözlötet küld.

ter idemque eius commilito¹ Stephanus more militiae ducem Lyanteyum adiit.

— Dux fortissime — inquit adolescens — meo et matris nomine infimis² precibus aliquid a te rogo atque oro.

— Loquere, mi fili.

— Concede mihi, ut liceat fratris mortui gladium, quem Arabes rapuerunt, recuperare.

Ducis oculi igne micabant:³

— Faciam tibi reddatur. Per gladium meum iuro te tuum recuperaturum esse.

¹ bajtárs ² alázatos ³ felragyog


GEOGRAPHICA

Australem¹ partem terrae videmus in tabula depictam. Si picturam diligenter intueris,² vides tria itinera descripta. Primum est Scottii, quod anno 1902. ultra gradum 83. proferri non poterat; alterum est Shackletonii anni 1909, cui latitudo 88° 23' finem fecit; tertium est Amundseni.

Anno 1911 Scott cum duodecim sociis illic hiberna³ posuit, unde et ipse decem annis ante, Shackleton duobus annis ante iter tentaverat. Britanno igitur maxime profuit itineris notitia, ita ut vires tempusque in optimo itinere requirendo consumere non cogeretur. Secutus est igitur viam Shackletonii. Postquam hiems sine ullo casu praeteriit, Scott vere australi ingruente⁴ pr. Cal. Nov. 1911. versus polum meridianum viae se dedit. Decem trahae⁵ mannulis⁶ vehabantur, duae erant trahae automatopoetae⁷ diversis cibarium⁸ generibus oneratae; penus⁸ subsidiarius canibus trahebatur. Die tricesimo octavo post hiberna³ relicta ad montem Beardmore glacie sempiterna obsitum perventum est. Hunc Scott cum septem sociis ascendit; sed totum iam pabulum⁹ consumptum erat, mannuli superstites caedebantur,¹⁰ Britanni ipsi vehicula trahere debebant. Iter pessimum erat, quotidie tempestates cum nivibus, orbitae¹¹ foedissimae, frigus intolerabile. Tamen 24—36 chiliometrorum itinera singulis diebus con-

fecerant; 3. die Ianuarii 1912. ad latitudinem 87° 32' pervenerunt, a polo ducenta et septuaginta chiliometra remoti, unde inopiā cibarium coacti pars sociorum revertebatur.

Die 18. mensis Ianuarii, uno mense et uno die post Amundsenum cohors parva



polum nacta¹² est,¹² ubi vexillum Norvegicum aliaque Norvegorum reliquiae invenerunt. O exploratores infelices, qui se ita spe destitutos viderint! Facile adducor ut credam eorum industriam¹³ impigram¹³ his visis fractam ac compressam esse.

1 déli 2 szemlél 3 téli szállás 4 beáll 5 szán
6 poni 7 automobil 8 étel 9 takarmány 10 levág
11 kocsicsapás 12 elér 13 fáradhatatlan sérénység

Post aliquot menses Arabes rebellantes pacem rogabant. Ducis mens inclinabat⁴ ad optata Arabum explenda, sed nisi ea conditione, ut arma, quaecunque mortui militis fuissent, redderentur.

Rebelles paulo post in castra Gallica reportabant centurionis mortui sclopetulum,⁵ ephippium,⁶ reliquas res⁷ minutas; ⁷ gladius non apparuit.

Sententia ducis stetit.⁸ Verbum⁹ unum de pace caverent,⁹ donec gladius referretur. Iterum aliquot dies abierunt, en legati arma centurionis ad ducem rettulerunt. Qui gladio inspecto iratus in eos invectus¹⁰ est:

— Ubi est mucro¹¹ gladii. Eum quoque afferri iubeo.

Arabs leniter ridens voce tristi respondit:
— Mucro gladii in pectore Arabis fractus est, qui a centurione cadente perfodiebatur...

Unā cum mortuo nostro mucronem illum sepelivimus, procul in desertis¹² arenosis...¹²

— Afferte mucronem — interpellavit eos dux, quos stupentes ilico reliquit.

Post spatium aliquot dierum mucro reportatus est. I. Szendefi.

4 hajlik 5 pisztoly 6 nyereg 7 apróság 8 hajthatatlan marad 9 szó se legyen 10 támad 11 hegy 12 sivatag.

Primus, qui tot miseriis (15. Februarii) succubuit, erat Evans decurio, Interim frigus interdiu 35, nocte 43 graduum erat! Cibaria paene exhausta, homines fatigati trahis iuncti!¹⁴ Die 16. Martii Oates centurio finem sibi adesse ratus tentorio¹⁵ exiens dixit: Exeo et parumper foris manebo... Frustra eum amici retinere conabantur, vir fortissimus tempestate alba in omne tempus ablatu est.

Tres erant superstites. Non amplius viginti chiliometra absunt ab eo loco, ubi cibariorum partem seposuerunt. Summis viribus eum nancisci¹² conantur. Sed viribus defecti animos ponunt die 21. Martii 1912.

Post sex menses, quia prae tempestate prius non potuit, missi sunt, qui mortuos requirerent. Virorum fortissimorum corpora inventa sunt, hominum erit memoriam eorum inviolatam servare ad saecula postera...

¹⁴ befog ¹⁵ sátor.



Helena Dutrieu aëronauta intrepidissima a summo¹ rerum¹ domesticarum¹ per Galliam praefecto,¹ Briando legionis insigni² honoris decorata est. Quae enim femina omnium feminarum per aërem volantium clarissima est, multa iam praemia de aemulis³ reportabat volatibusque audacissimis. se praemio non mediocri dignam praestitit.

¹ belügyminiszter ² rendjel ³ versenytárs.

Gallus. VII.

Scripsit G. A. Becker, in Latinum convertit -il.

Gallus dein evolutu¹ volumine perrexit: — En, satis est adhuc spatii uni carmini excipiendi, quod hodie mane in peristyllo ambulans meditabar.² At enim iocosum genus carminis leviter compositi proximae elegiae non optime congruit.³ Nonnullis forsitan omittendum videbitur. Sed argumentum⁴ satis⁵ superque⁵ testatur ab eo nihil sibi vindicari.⁶ Vide igitur scribas!

Phaedrus volumen accepturus erat. Sine, inquit Gallus, vix habemus tempus ante profectionem. Sume stilum et tabulam ceratam, utere notis⁷ et dum ego nonnullas litteras dicto librario⁸ ab⁸ epistolis,⁸ tu carmen ascribes.

Phaedrus dicto audiens scripsit, quae dominus dictabat:

Quo properas, insane liber? male⁹ nota⁹ quid hospes

Tecta subis, tuto cui licet esse domi?

Quis furor est, populi tumidis opponere

rhonchis,¹⁰

Ah! vereor, sociis vix placitura viris?

Contemptumque pati, nasoque¹¹ ferociter unco¹¹

Suspendi¹¹ et tristes¹² extimuisse notas?¹²

An quia plebeiam¹³ vincit tua charta papyrum,¹³

Et nitet artificii litera facta manu;

Candida quod Tyrio¹⁴ velatur pagina fucō,¹⁴

Pictaque¹⁵ nigranti¹⁶ cornua¹⁵ fronte¹⁶ geris, Scrinia¹⁷ Phoebeae¹⁸ speras habitare catervae,¹⁸

Et fieri doctis carior inde¹⁹ viris?

Gestarique sinu²⁰ belle, lepidusque²¹ vocari

Forsitan et toto plurimus orbe legi?

Nequidquam, heu; formā tumidum,²² cultuque superbum

Accipiet fumo nigra culina²³ suo.

Mercibus aut unctas²⁴ migrabis, culte, tabernas,²⁴

Ut referas merces unctus et ipse domum.

Vidimus elatos²⁵ nimium, meritisque feroces —

Vera loquor, quamquam prodigiosa loquor —

Aut salis aut piperis²⁵ Cicerones esse cucullos,²⁶

Quodque aberat scriptis sal²⁷ tamen intus erat.

Cordylaeque²⁸ fere madidā latuere papyrō,

Quidquid et immundi poscit opella²⁹ coqui.²⁹

Si sapis, exemplis monitus, liber, utere tantis,

Et proprio noli cautior esse malo.

Ventis verba cadunt. Pugnas tamen ire? licebit.


I, fuge, sed laesus parce,³⁰ libelle, queri.³⁰

Phaedrus summa qua potuit celeritate scripsit. Ex vultu eius minime coniectari³¹

¹ kibont ² kigondol ³ egyezik ⁴ tartalom ⁵ túlon-
túl ⁶ túltesz ⁷ gyorsírás ⁸ titkár ⁹ kevésé ismert
¹⁰ orrfintorgatás ¹¹ fennhordott orrára akaszt = meg-
vet ¹² rossz jegyeket = rossz bírálatot ¹³ amelynél
különb ¹⁴ tyrusi bíbor ¹⁵ = *picti umbilici* ¹⁶ feketére
festett előrésze a könyvnek ¹⁷ szekrény ¹⁸ a költők
¹⁹ ezért ²⁰ «zseb» ²¹ szellemes ²² duzzadt, elbizako-
dott ²³ konyha ²⁴ bekent (piszkos) boltokba ²⁵ bors
(melyet becsomagolnak) ²⁶ *cucullus*ba, a papírzac-
kóvá süllyedt könyvbe ²⁷ a szellemesség (atikai só)
²⁸ tunhal ²⁹ szakácsművészet ³⁰ ne panaszkodjál
³¹ gyanít

potuit, quid de carmine iudicaret. Carmine descripto discessit, ut Philodamum mitteret, quo dominus in litteris scribendis uteretur. Qui peritus utriusque linguae plerumque Graecas atque Latinas epistolas mittendas describebat.

Philodamus attulit stilum, ceram, tabulas et linum,³² dein sententias³³ a Gallo dictatas habili manu descripsit. Nuncius profectionis invitationisque in villam, comprobatio emptorum signorum et imaginum, commendatio amici ad amicum



Solarium.

Alexandriae fuerunt argumenta³⁴ epistolarum.

Gallus iterum perlegit tabulas, quas dein Philodamus lino obligabat, in nodum lini astricti rotundam cerae³⁵ particulam³⁵ imposuit, Gallus vero detraxit digito beryllum, in quo leo quattuor Amoribus stipatus³⁶ erat incisus;³⁷ gemmam ad os relatam afflavit,³⁸ ne ceram mollem traheret³⁹ et in cera sigillum impressit. Philodamus interdum tabellarios⁴⁰ vocabat, qui tabulas in locos iussos portarent.

Quibus peractis aderat puer, qui solaria⁴¹ curabat et nuntiabat iam quartam horam ab umbra gnōmonis⁴² taclam esse. Quod tempus erat proficiscendi. Gallus igitur reliquit conclave, ut calceos et vestimenta mutaret.

Reliqua deinceps persequemur.

³² a levél átkötésére való fonal ³³ mondat ³⁴ tartalom ³⁵ darabka viasz ³⁶ körülvesz ³⁷ vés ³⁸ rálehel ³⁹ hozzárágaszt ⁴⁰ levélhordó ⁴¹ napóra ⁴² mutató.

De floribus sanguineis Sztrecsnoensibus.

Scriptis Viktor Rákosi, in Latinum convertit: —il.

III.

Fragopoli⁸⁹ miles, qui in valetudinario⁹⁰ Russorum graviter vulneratus decumbebat, sacerdotem et praefectum⁹¹ urbi⁹¹ ad se ar-

cessi iussit. Miles ille graviter vulneratus fuit Blasius Farkas, discipulus Sárospatakiensis, quem Russi eodem⁹² secum duxerunt aegrumque summa cum diligentia curabant.

— Accepistisne⁹³ fando⁹³ aliquid de pugna ad Sztrecsno? interrogavit eos Blasius.

— A civibus dimissis iam accepimus centurionem Ioannem Szeredai cum duobus et septuaginta iuvenibus pro patria mortuum esse. Qua de re colonus quoque Martinus, qui litteras rettulit, multa narrabat. Sed plurima referebant praefecti Russorum.

— Quod quidem scire volui. Estne superstes⁹⁴ quisquam sodalium meorum?

— Nullus. Praefecti legionis Tilsitensis duo et septuaginta mortuos legebant.

— Itaque ego solus sum superstes?

— Tu solus.

— Nunc vero audite scriptisque⁹⁵ mandate,⁹⁵ domini, quomodo Ioannes Szeredai et septuaginta duo socii eius se pro patria morituros esse voverint⁹⁶ et quomodo fidem exsolverint.

Viri amplissimi lacrimas fundentes auscultabant⁹⁷ discipulum pallidum de pugna ad Sztrecsno narrantem.

Vespere iterum ad vulneratum arcessiti sunt. Animam⁹⁸ agebat.⁹⁸ Ligamenta⁹⁹ avelit.⁹⁹ Vires eius defluerunt. Umerum dilaceratum gangraena¹⁰⁰ occupavit.¹⁰⁰ Voce lassa edebat:

— Fidem¹⁰¹ obstrinxi.¹⁰¹ Sequar sodales necesse est... Exspectant... Ignavus forem... Fieri non potest... non potest, quin unus... solus superstes... remaneam... Ah mi Deus!...

Decessit.

*

Ex quo tempore in iugo Sztrecsnoensi flores tantum sanguinei gignuntur. Per Deum immortalem, si omnia huiusmodi memoriae traderentur, totā Hungariā nulli flores nisi sanguinei gignerentur.

⁸⁹ Eperjes ⁹⁰ kórház ⁹¹ polgármester ⁹² ugyanoda ⁹³ értesül ⁹⁴ életben levő ⁹⁵ feljegyez ⁹⁶ megfogad ⁹⁷ hallgat ⁹⁸ végét járja ⁹⁹ kötését letépi ¹⁰⁰ üszkösödik ¹⁰¹ szavát adja.



Martinus Schmidt dr. Moderatori Iuventutis Salutem.

In actis¹ diurnis¹ Britannicis, quae *Times* inscribuntur, nuper inter alia ad haec mihi animus advertebatur, quae lectoribus nostris tradenda esse arbitratus sum :

In urbe Liverpool, in ripa fluvii Mersey momentum collocatur in memoriam heroum ignotorum, qui in machinamentis² navis Titanic acerbissimā cum diligentia nullam officii partem deseruere. W. R. Kennedy summi per Britanniam tribunalis iudex supremus Lingua Latinā titulum monumenti in hunc modum conscripsit :

In memoriam duorum et triginta artificum³ nauticorum³ qui, cum navis, in qua mare Atlanticum navigabant, massae⁴ glaciali⁴ collisa,⁵ fluctibus mergebatur, fideliter usque ad finem laborantes, suo exitio aliis salutem praestiterunt.

Nox erat; icta latus cursuque iacebat adempto

Navis Atlantei dum maris⁶ alta⁶ secat,

Quam subito in tenebris moles glacialis euntem

Laeserat; in vulnus prora⁷ bibeat aquas.

Confugit ad lintres⁸ vectorum turba: pudori

Cui foret in tali clade petita salus?

His aliter visum est. Periturae navis in ima

Parte suum impavidus quisque laborat opus.

Ante oculos letum⁹ est, tamen haud deterret imago,

Ne fidi maneant in statione viros.

Ossa tegit pelagus: nullo mergetur in aevo,¹⁰

Gloria pro sociis sic voluisse mori.

Ludovicus Balogh quindecim annorum discipulus, qui Posonii rebus electrotechnicis studet, magni¹¹ momenti¹¹ inventionem fecit, qua motorum qui dicuntur efficacia¹² augetur. Perexiguā¹³ enim calefaciendi¹⁴ materiae¹⁴ duplicatur labor motoris et machina a fuligine¹⁵ defenditur. Inventoris adolescentuli opus ab omnibus harum¹⁶ artium¹⁶ peritis¹⁶ magni aestimatur, immo officina¹⁷ cultrorum¹⁷ Austriaca se quinquaginta milia coronarum pro inventionem adolescentis solvere velle affirmavit.

Rosa Sarto soror Pii X. pontificis maximi, cuius res¹⁸ domesticas,¹⁸ ex quo cultui divino sacratus¹⁹ est, curare consuevit, summā se neclute Romae mortua est. Pius X., qui sororem carissimam habebat, morte eius maximo maerore afflictus est.


Franciscus Fede magister in universitate Neapolitana idemque in²⁰ Italiae publicum²⁰ consilium²⁰ lectus²⁰ annum agens septuagesimum primum mortuus est. Artis medicinae unus omnium peritissimus plurimum ad hanc artem in Italia promovendam contulit.

Eudoxia et Nadesda filiae regis Bulgariae precibus adierunt iuventutem nostram, ut ad orphanotropha²¹ per Bulgariam instituenda pecuniam conferrent. «Sub finem belli — inquiunt — millenos liberos videmus orbos²² parentibus, pane quotidiano, vestibibus spissioribus²³ carentes.»

Et nos miseret orbos parvulorum, ubi-cunque parentes amiserunt. Tamen adduci nequimus, ut misericordiam lectorum imploremus. Bulgariam enim, quae nullo cogente, sua sponte hoc bellum funeste movit, satis opum habituram speramus etiam ad orphanotropha instituenda. Praeterea nolite oblivisci Turcorum liberos parentibus orbos non minus sentire acerbitates²⁴ frigoris et miseriarum, quam eos, qui in Bulgaria nati sunt. Sed etiam in Hungaria satis locorum invenietis, quo pecunias conferre possitis, si utique²⁵ pecuniam expendere²⁶ vultis. Bulgariae autem consulant illi, qui procellam²⁷ illam patriae suae inflixerant.²⁷

Carrel medicus, natione Gallus, qui rector est instituti Novo-Eboracensis a Rockefellero, viro divitissimo sustentati, tantam gloriam artis medendi sibi comparavit, ut nuper praemio Nobeliano honoratus sit. Medicus ille clarissimus nunc hominum admirationem summo²⁸ opere²⁸ movit, cum se unius

1 hirlap 2 gépház 3 hajógépész 4 jéghegy 5 össze-
 ütközik 6 nyílt tenger 7 a hajó orra 8 (mentő-)
 csónak 9 halál 10 kor, idő 11 fontos 12 hatóképesség
 13 igen csekély 14 tüzelőanyag 15 korom 16 szakértő
 17 kőgyár 18 háztartás 19 szentel 20 képviselő
 21 árvaház 22 megfosztva 23 vastag, meleg 24 sanyarú-
 ság 25 mindenképen 26 költ 27 vihart felidéz
 28 igen nagy mértékben



diei spatio vulneribus mederi affirmavit, nisi usque ad ossa descenderint;²⁹ vulneri, quod cum fracto osse coniunctum esset, intra quattuor dies. In hac enim re inquirenda Carrel vinciturā,³⁰ e quibusdam textis³¹ membrisque animalium paratā, sanationem vulneris vehementer maturari intellexit. Medicus sperat fore, ut adustiones³² maximae, quae nunc mortiferae sunt, hac sua medendi ratione sanari possint. Quamquam pars medicorum Carrelli declarationem in dubio ponunt, tamen vir doctissimus, quā floret gloriā doctrinae, nos optima sperare iubet.

Res publica Mexicana fluctibus³³ civilibus³³ agitur, postquam Porphirio Diazio oppresso summa³⁴ rerum³⁴ infirmis manibus tradita est. Diazius omnia in se coniunxit, quibus populum mobilem variumque³⁵ coercere posset. Regiā fere potestate in patriam suam dominabatur, in quā antea seditio-nibus excitatā omnia divina humanaque iura permixta³⁶ erant. Qui in locum Porphirii successit, Madero vir tantulus³⁷ est, ut rerum perturbationibus par³⁸ esse³⁸ nequiverit. A rebellibus exarmatus, frater interfectus est. In civitatibus foederatis Americanis positum³⁹ est,³⁹ ut terrae infelici pax reconciliaretur.

Woodrow Wilson Foederatarum Civitatum novus rector nuperrime⁴⁰ de litteris disse-rens⁴¹ carminum amantissimum se affirmavit. Poesin cum sanguinis cursu⁴² comparat; velut vita sine sanguinis cursu cogitari nequit, ita nullius populi vita sine poesin absoluta⁴³ perfecta⁴³ dici potest. Carmina multo melius declarant spes, conatus, cogitationes populi, quam dissertatio,⁴⁴ opus doctum vel litteratum quodcunque. Wilson gratus est erga poetas, qui eum vitam docuerint. Qui in⁴⁵ re⁴⁵ publica⁴⁵ versari⁴⁵ cupit ac poetas optimas non legit, similis est ei, qui spectator⁴⁶ mortuorum⁴⁶ vulneratum secare⁴⁷ vult, vel si puparum⁴⁸ fabricator librum scribere velit de corporibus humanis in-



secandis,⁴⁹ vel si actor tragicus bellici consillii princeps esse velit. Homines tantum per poesin cognosci possunt, quā de causa is, cuius⁵⁰ est⁵⁰ homines cognoscere, prins cognoscat poesin eorum.

²⁹ hatol ³⁰ kötés ³¹ szöveg ³² égett seb ³³ párt-villongás ³⁴ főhatalom ³⁵ ingatag ³⁶ összekever, feje tetejére állít ³⁷ oly jelentéktelen ³⁸ megbirkózik ³⁹ rajta áll ⁴⁰ minap ⁴¹ értekezik ⁴² keringés ⁴³ tökéletes ⁴⁴ értekezés ⁴⁵ államférfi lesz ⁴⁶ halottkém ⁴⁷ megoperál ⁴⁸ baba ⁴⁹ boncol ⁵⁰ kinek a feladata.



Cum mercator quidam in aquis¹ moraretur, domus eius a fure despoliata² est. Quo de casu socius eum telegraphice certiorrem fecit his verbis: «Fur! illico³ redi!»

— **Pater tuus** quantum adhuc profecit⁴ in arte equitandi ediscenda?

— O, iam nobis conceditur spectatores esse.

Avus tuus quot annos natus est, Tulliola?
— Istud nescio; sed nos eum iam perdiu habemus.

— **Quid agunt** fratres tui, domine?

— Unus mihi est frater, domina mea; bene valet.

— Atqui⁵ soror tua nuper mihi dixit se habere duos fratres. *G. Lhm. (Vrsl.)*

secundum «Bresl. Lustige Blätter, 1913. Nr. 2.»

— **Cur** movet hic canis caudam?⁶

— Quia cauda non potest movere canem.

G. a Beöthy (Nagyvárad).

— **Cuius generis** est ovum?

— Nunc nescio respondere, tantum post tres hebdomades.

— Quare?


— Quia gallina nunc incubat.⁷ Ex quo gallus nascetur, masculini erit, ex quo gallina, feminini.

— Et putidum?⁸

— Neutrius generis.

N. Steinbach (Sátorajauhely).

¹ fürdő ² kirabol ³ azonnal ⁴ halad ⁵ pedig ⁶ fark ⁷ költ ⁸ záp.



I.

a cos di mi o ob pa qui ri rit se tas um um ve.

Ex his syllabis verba formentur, quae, si recte reperta ac disposita erunt, sententiam vel proverbium exhibent. G. Lhm. (Vrsl.)

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|--|
| a | | | | | | |
| a | c | | | | | |
| c | l | m | | | | |
| n | o | o | o | | | |
| r | r | r | s | s | | |
| s | s | s | u | u | u | |

II.

Litterae in hac figura ita disponantur, ut appareant in linea 1. consonans, 2. et 3. partes corporis, 4. bestia, 5. arbor, 6. perinde ac in prima serie perpendiculari mulier marito cognata.


G. Lhm. (Vrsl.)

III.

Titulus monumenti¹ Diophanti, clarissimi arithmetici hic est: Hoc magnificum monumentum includit ossa Diophanti; in lapide frigido arithmetica insculpit aetatem eius. Dei misericordiā sextam partem vitae suae in pueritia absumpsit; post partem vitae duodecimam lanugo² ei apparebat; deinde post partem septimam uxorem duxit; post quinque annos puer nascitur ei, qui tunc est mortuus, cum dimidio minor aetate fuit, quam tota aetas patris; dein etiam quattuor annos vixit. Quotum annum agens posuit vitam?

G. Horay.

IV.




¹ sírirat ² pehely.

Solutiones aenigmatum numeri 11.

I. Filia est. — II. Sextus accepit tria; Petrus duo, Paulus quattuor poma. — III. Genua,

genua. — IV. N, os, ver, ebur, ramus, Caesar, Acheron — noverca. — V. Achates, achates. — VI. Horatius, hasta, hostis, historia, Otho, oratio, ira, ius, sus, Statius. — VII. Lupus in fabula.

Aenigmata recte dissolverunt: A. Bakonyi (Cegléd), E. Blau (Losonc), E. Brenek (Budapest), N. Cieszyński (Leopolis), A. Cseh (A. Carolina), F. Denk (Vindobona), F. Eile (Leopolis), C. Fantáná (Cibinium), P. Ferruska (Strigonium), D. Fischer (Ujpest), G. Gadulski (Leopolis), I. Georgescu (Cibinium), A. Herman (Leopolis), G. Horay (Temesvár), S. Horváth, O. Cist. (Agria), S. Jakubowski (Leopolis), L. Jenner (Oxonia), L. Kerényi (Ujpest), T. Kindler (Leopolis), M. Kordzik (Leopolis), G. Korn (Leopolis), A. Korchmáros (Budapest), L. (Cibinium), C. Lesmann (Cibinium), C. Lewicki (Leopolis), C. Martin (Andecavi), A. Molnár (Ujpest), G. Mödlinger (Budapest), G. Muffang (Angers, Gallia), C. Ninger (Vindobona), Ostafin (Leopolis), P. C. Peltenburg (Soeterwoude ad Lugdunum Bat.), Th. Pryszlak (Leopolis), A. Schwimmer (Temesvár), I. Szügyi (Kisujszállás), G. Tarczay (Zagrabia), A. Tizos (?) (Leopolis), P. Trojnar (Leopolis), Ujpestiensis gymnasii cl. III. a), T. Vuia (Temesvár), I. Wildt (Déva). Praemium sorte G. Muffang obvenit.



H. (Leopolis). Praemiorum distribuendorum ratio ne videatur tibi iniusta, quia non in nobis situm est, cui praemium obveniat. Nullius nisi fortis fortunae est, qui praemio afficiatur. — Magister. Interpres «Galli» Beckeriani, quem percontaris, est Aemilius Láng litterarum Latinarum in gymnasio Keszthelyensi magister. — Rusticus scurra iam in Iuventute (ann. III. pag. 74.) prodiit, «Leo gratus» notissimus est. Quod ad «aviū velocitatem» attinet, timebam fore, ut hisce lectorum animos delectare possimus. Reliquorum delectum habebō. — Demades et Athenienses. In Iuventutis iam publicatum est. Ignosce igitur, si fabulam seposuerō. — Gisella T. Descriptio pulchra, quam miseris, rite mihi reddita est. Quibusdam amicis legendam tradidi. — St. Fehér aliique proxime responsa accipiet.

Moderator ephemeridis STEPHANUS SZÉKELY DR. Budapestini, Üllői-út 71., ad quem litterae quaecunque mittantur.

Sumptibus moderatorum ephemeridis: Magyar Középiskola.